# DIES SEXTA OCTOBRIS.
# DE S. BRUNONE CONFESSORE ORDINIS CARTHUSIANORUM FUNDATORE IN CALABRIA.
# VITA ALTERA.

## Auctore Francisco a Puteo Cartusiæ Majoris Priore, Ex editione, Basileæ anno circiter 1515 adornata.

### PROLOGUS.
### Cur Sancti Vitam describere aggrediatur, auctor exponit.

[1] [Sanctos in Domino laudare,] Non solum Dominum in Sanctis ejus, sed etiam ipsos Sanctos in Domino laudare jubemur, sicut scriptum est, Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Homines divites in virtute, & pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Quorum corpora in pace sepulta sunt: & laudem eorum nunciat Ecclesia. Laudemus, inquam, & verbo & imitatione dignos laude monstremus viros, sic a virtute dictos, non quidem viatores, cum Veritas dicat: Neminem salutaveritis in via; sed gloriosos, scilicet in gloriam jam receptos, & de sua immortalitate securos; & parentes nostros spirituales, quorum fidem & opera imitari debemus, & quorum doctrina & exemplis Deo geniti sumus, secundum illud Apostoli: Per Euangelium ego vos genui. In generatione sua, id est, secundum ea, quæ fecerunt in vita sua.

[2] Homines divites in virtute. Nam virtutes veræ divitiæ sunt, [id est, gloriosa eorum facta ad Dei honorem narrare debemus:] quæ violenter auferri non possunt.

Pulchritudinis studium habentes, per veram fidem & debitam ordinationem cogitationum, affectionum, & operum. Pacificantes, id est, pacem habentes & facientes in domibus suis. Quorum corpora in expectatione pacis perfectæ, quæ dabitur in resurrectione, sepulta sunt: & laudem eorum nunciat Ecclesia, eorum videlicet exempla, & gloriosa facta narrando ad Dei honorem & aliorum informationem. Hoc est enim illud juge Sacrificium, quod in Dei Ecclesia sine intermissione offertur. Sacrificium acceptabile, holocaustum pingue, non hircorum aut vitulorum, sed laudis; dum scilicet laudatur Deus in Sanctis suis ab homine, quem creavit, quem redemit, cui & regnum cæleste promisit. Hoc est Sacrificium Deo gratum, credentibus vero utile & necessarium. Necessarium quidem, quum per prophetam Dominus dicat: Immola Deo Sacrificium laudis. Ei vero gratum & acceptabile, quia Sacrificium laudis (inquit) honorificabit me. Nobis autem utile, quia illic ostendam illi salutare Dei, Christum scilicet, qui caput est omnium Sanctorum, & merces eorum.

[3] Laudemus igitur, dilectissimi fratres, Dominum in Sanctis ejus: [hinc ad S. Brunonis gesta prædicanda se aliosque exstimulat biographus.] & præcipue in hoc beatissimo patre nostro Brunone, cujus hodie festivitas agitur, qui nos in Christo genuit: qui vitæ viam nobis in eremo præparavit, & vivendi normam suo exemplo monstravit. Et quamvis eum, ut dignum est, laudare non sufficiamus, ab ejus tamen laude cessare non debemus. Exaltemus itaque eum & laudemus, quantum possumus, quia major est omni laude. Narremus mirabilia ejus, quæ fecit: annunciemus inter gentes opera ejus, ut ex eis glorificetur Deus, & ut nos eum, quem patrem habere meruimus in terris, socium & confratrem, ejus nos adjuvantibus meritis & precibus, habere mereamur in cœlis.

# CAPUT I.
## Occasione defuncti, qui sese damnatum, inter solemnes exsequias e feretro proclamat, in solitudinem secedere Bruno statuit, alios in idem propositum attrahit, iterque cum his ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, suscipit.

[Inter exsequias, tribus continuis diebus funeri suo habitas, primo se accusatum,] Temporibus Gregorii septimi, Romani Pontificis, & Henrici quarti imperatoris circa annum salutis nostræ octogesimum secundum supra millesimum, quum in Parisiensi civitate solenne floreret studium, abundans tum multitudine scholarium & perquam copiosa caterva doctorum solemnium in omni doctrinarum genere, tale in ea contigit horrendum & memorandum spectaculum. Quidam enim solemnis doctor, inter cæteros doctores præcipuus, scientia & moribus excellenter ornatus, ac præ cæteris honoratus, gravi quadam infirmitate præventus, lecto decumbens, vitæ suæ diem clausit extremum. Cui cum solennes de more pararentur exequiæ, ad eum honorandum convenit magistrorum, studentium, & quorumdam civium multitudo copiosa. Quibus comitantibus & funus prosequentibus, defuncti corpus ad ecclesiam, in qua sepulturæ dandum erat, delatum est. Cumque ab invitatis ecclesiasticis, qui tunc aderant, defunctorum solitum decantaretur Officium, quum ventum est ad eam lectionem, quæ incipit, Responde mihi, surrexit, qui erat mortuus, & erecto paululum capite, resedit in feretro, cunctisque videntibus & audientibus, ac præ novitate rei stupentibus, alta, licet horrenda, voce clamare cœpit & ait: Justo Dei judicio accusatus sum.

[5] [secundo judicatum,] Quo dicto, iterum recubuit. Illi vero, qui hæc audierant & viderant, non modicum nec immerito territi, decreverunt consulte quidem & provide,

sepulturam ejus in crastinum differendam, rei exitum præstolantes. Die itaque sequenti quum tantum spectaculum jam fuisset in tanta civitate divulgatum, ad dictam ecclesiam convenit maxima & quasi innumerabilis utriusque populi multitudo. Ubi reinceptis & inde continuatis exequiis, dum ventum est ad ejusdem lectionis initium, idem defunctus, ut pridie de loculo, in quo mortuus jacebat, exiliens, dixit: Justo Dei judicio judicatus sum. Et hoc dicto, intra feretrum iterum se recepit; unde crevit inter astantes admiratio non parva. Quia tamen ex hoc nondum fuerant de ejus reprobatione certi; cum verba illa accusatus sum & judicatus sum, possent etiam in bonam partem interpretari, tanquam ipse primo injuste fuisset ante tribunal Christi ab eo, qui perdere cuncta festinat, indebite accusatus, & inde justo Dei judicio ab ejus calumniosa accusatione liberatus, cunctis placuit & in sequentem tertium diem ejus sepulturam proferre.

[6] Tertia itaque die factus est concursus nimius virorum & mulierum, [ac tertio damnatum, doctor Parisiensis boni nominis, ad tempus redivivus e feretro proclamat.] ita ut pœne tota civitas ad tam mirandum Dei judicium agnoscendum conflueret. Et ecce, cum priore more exequiæ continuarentur & fierent, surrexit jam tertio idem defunctus, & voce valida, cunctis mortalibus metuenda, dixit: Justo Dei judicio condemnatus sum. Quæ vox, tam stupenda & horrenda, & a seculo inaudita, omnes, qui astabant, pœne exanimes reddidit. Qui tamen omnes, eum tanquam a Domino reprobatum, & ejus justo judicio (ut ipse idem attestatus erat) condemnatum, omni Ecclesiæ suffragio, necnon & ecclesiastica sepultura indignum judicantes, in sterquilinio sepeliri fecerunt. Unde cum in Parisiensi & cæteris vicinis ecclesiis quarta lectio in agendis justis defunctorum incipiat per Quantas habeo iniquitates, omissis verbis seu dictionibus illis prioribus, Responde mihi, fertur a nonnullis, quod dicta

verba fuerunt ex tunc inde deleta ob perpetuam & indelebilem tam expavendi judicii memoriam.

[7] Aderat autem tunc huic tam horrendo spectaculo inter cæteros doctores beatus Bruno, [Horrendo spectaculo interest Bruno, qui, hinc compunctus, vocatos ad se quosdam amicos] natione Teutonicus ex civitate insigni & regia Agrippina Colonia, de parentibus, non tam genere quam virtute claris & nobilibus ortus, Remensis ecclesiæ canonicus, doctor & scholarium Parisiensium magister. Doctor utique in divinis præcipue literis, ut ejus scripta testantur, eruditissimus & præ cæteris honoratus. Qui ex his tam insolitis, tam horribilibus, & totiens iteratis vocibus salubriter territus, & quasi consternatus, vocatis nonnullis ex sibi magis familiaribus sociis & discipulis (inter quos erant magister Lauduinus, qui post eum primus Prior Carthusiæ fuit, duo Stephani, unus Burgensis, alter Diensis, ambo canonici sancti Rufi secus Valentiam Allobrogum, Hugo Capellanus, & duo laici (Andreas scilicet & Guarinus) ait: Frequenter, cum Apostolum legeremus, audivimus, nunc vero etiam experimento didicimus, fratres mei in Christo dilectissimi & desiderantissimi, quam incomprehensibilia sint judicia Dei & investigabiles viæ ejus.

[8] Hunc enim defunctum, dum adhuc viveret, & vidimus & cognovimus, [prolixa oratione, quæ hic recitatur,] virum utique humana sapientia doctum, virtutibus (si tamen veræ in talibus virtutes sint) ac moribus ornatum, & secundum exteriorem sapientiam castum, prudentem, pudicum, domui suæ bene præpositum, & ab omnibus honoratum, ac magno in precio habitum, nunc vero ex ore ejus audivimus, justo Dei judicio esse condemnatum. Justo quidem, quoniam justus Dominus & justitias dilexit, cujus propterea judicia non possunt esse nisi justa, licet plerumque & ut plurimum occulta sint, Justo, inquit, Dei judicio condemnatus sum. Vox profecto terribilis &

metuenda; quæ, o utinam, sonaret jugiter in auribus nostris, & cordis intima penetraret, ut eum, cujus judicium effugere non possumus, timeremus, & timendo fugeremus a ventura ira, & salutis, dum tempus est, quæreremus opportuna media! Consideremus, quæso, fratres mei, quid isti nunc in inferno prodest tanto labore quæsita scientia, cum continua & perpetua laboret cæcitate & ignorantia? Quid divitæ, cum nec guttam aquæ ad refrigerandam linguam habere valeat? Quid honores, quid delitiæ? cum tot nunc cogatur subire tormenta, quot in mundo habuit oblectamenta.

[9] Vidimus corpus ejus nunc sine honore sepeliri in sterquilinio, [potissimumque e varii] cogitemus, animam ejus sepultam esse in inferno, æternis incendiis cum impiis æternaliter cruciandam; ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur; ubi ardor incomparabilis, fœtor intolerabilis, dolor interminabilis. Ubi quærent homines mortem, nec invenient. Nam tunc mors immortalis erit, quæ depascet eos, non ut moriantur, sed ut ad pœnas iterum renoventur. Quid igitur faciemus? Ad cujus consilium fugiemus? Omnes enim nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; nec est, qui faciat bonum, non est usque unum. Omnes peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Omnes nos filii iræ sumus, pari propterea pœna digni, nisi nos inde eripiat misericordia Christi. Quid faciemus? Nonne & omnes simul peribimus? Nonne, si huic non pepercit, nec angelis peccantibus, nec ramis naturalibus, putamus, quod neque parcat & nobis? Putamus, quod sit abbreviata manus ejus, ut ultra misereri non possit? Aut quod continebit in ira sua misericordias suas? Absit.

[10] [sacræ Scripturæ locis est hausta,] Quid igitur faciemus? O fratres mei, in re tam perplexa, tam ardua, & tam gravi, ne in viribus propriis confidisse videamur, quæramus consilium. Non a Judæis, qui in sola legis

observatione justificari se credunt. Non a Græcis & antiquis eorum philosophis, qui in sua virtute confidunt. Non a cæteris sæculi hujus conquisitoribus & sapientibus, qui ignorant, quæ Dei sunt; sed potius ab iis, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Consulamus igitur primo advocatum nostrum, quem habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, &, quid dicat, audiamus. Quoniam, inquit, impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini & credite Euangelio, quia nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Audiamus & Domini præcursorem Joannem, de quo scriptum est, quod inter natos mulierum non surrexit major eo. Ipse enim prædicans in deserto Judææ baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ait: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.

[11] [ad pœnitentiam,] Et iterum ad Pharisæos & Saduceos: Genimina (inquit) viperarum quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite igitur dignos fructus pœnitentiæ. Audiamus etiam principem Apostolorum Petrum dicentem in Actibus Apostolorum ad populum Judæorum: Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra. Et iterum, quum quidam ex eis compuncti corde dicerent ad Petrum & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vice omnium respondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Hinc Propheta ait: Si pœnitentiam egerit gens ista a malo suo, quod locutus sum adversus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Et Sapiens, Si pœnitentiam (inquit) non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Hoc itaque sanum est & salubre consilium, fratres mei, si Dei justam vindictam & tremendum ejus judicium effugere volumus, ut pœnitentiam agamus, & lachrymis peccata purgemus. Hæc namque est via, quæ

ducit ad vitam. Hæc secunda post naufragium tabula, per quam peccatores salvantur, & per quam Deus ad misericordiam inclinatur.

[12] Propterea, dilectissimi, abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, [eamque absque dilatione] suscipiamus in mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas nostras. Convertamur ad Dominum, & miserebitur nostri, quoniam benignus est & præstabilis super malitia; nec vult mortem peccatorum, sed magis ut convertantur & vivant. Nec converti differamus in crastinum; quia, qui pœnitentibus veniam spopondit, peccantibus diem crastinum non promisit. Unde qui congruum pœnitentiæ tempus perdunt, frustra ante regni januam cum precibus veniunt. Quibus per Salomonem Dominus ait: Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, quum vobis, quod timebatis, advenerit. Quum venerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas, ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia; tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me.

[13] Simus igitur factores verbi hujus, & non auditores, [peragendam, vehementissime hortatur,] fallentes nosmetipsos. Imitemur saltem Ninivitas illos, qui conversi sunt in prædicatione Jonæ, & prædicaverunt jejunium, & involuti sunt saccis, & egerunt pœnitentiam. Et vidit Dominus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. Sic & nos faciamus; quia major est, quam Jonas hic, qui ait: Pœnitemini & credite Euangelio. Aperiamus pulsanti, vocantem sequamur. Quid dico vocantem, immo certe trahentem & cogentem intrare. Non enim vox ista, quam nunc audivimus, facta

est propter eum, qui defunctus est, sed propter nos, ut nobis vox ipsa proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter expectat. Non igitur ultra de die in diem differamus: quia, qua hora Dominus venturus fit, ignoramus, nec incertam mortis horam prævidere valemus.

[14] His auditis, unus ex astantibus, magister scilicet Lauduinus, [magistroque Lauduino, locum in mundo, peccandi periculis] natione Tuscus, ex civitate Luca, vir utique doctus & timoratus, ait: Magister bone, jam scimus, quia verax es, & legem Dei in veritate doces; verba enim tua verissima sunt, quia Dei iram & justam indignationem effugere non poterimus, nisi lachrymis peccata purgemus. Verum quia scriptum est, quod omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; quis, quæso, innocens inter malos tutus vivere aut dignos pœnitentiæ fructus agere potest, ubi superbia inflat, avaritia enervat, luxuria inquinat? Ubi lites, contentiones, æmulationes, oblocutiones, invidiæ? Ubi fiunt latrocinia, perpetrantur homicidia, falsa proferuntur testimonia, committuntur adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia, veneficia, & similia? Ubi periit in conversatione simplicitas, in societate charitas, in actione justitia, in locutione veritas, & in proximorum necessitate pietas? Ubi denique refrixit charitas & superabundavit omnis iniquitas, teste Propheta, qui ait: Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra. Aspexi illam, & ecce, vana erat, & cælos, & non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce, movebantur, & omnes colles turbati sunt. Intuitus sum, & ecce, non erat justus, & omne volatile cæli recessit.

[15] [ubique pleno,] Unde difficile videtur, immo pœne impossibile, mundum quemquam & ab omni peccato liberum, in mundo posse vivere aut dignos in eo agere fructus pœnitentiæ. Nam, ut Augustinus ait, inanis est

pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nilque prosunt lamenta, si replicantur peccata. Et vulnus iteratum sanatur tardius. Et Gregorius: Qui, inquit, admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ se graviori subjicit; unde ad veram pœnitentiam necessario requiritur, ut peccatorum causæ penitus excidantur. Et propterea si ad hunc pœnitentiæ perfectæ gradum pervenire volumus (quia mundum istum sensibilem, quem cernimus, quamdiu in carne vivimus, omnino deserere non possumus) necesse est, ut saltem, quæ in mundo sunt, omnia penitus relinquamus, dicente Domino: Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et iterum ad adolescentem de vita æterna interrogantem: Si vis (inquit) perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

[16] [agendæ pœnitentiæ apium, assignari postulanti,] Qui, cum hæc audiens tristis abscessisset; ait ad discipulos Dominus: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Hinc ait Sapiens: Qui confidit in divitiis, corruet; & qui festinat ditari, non erit innocens. Et iterum: Si dives fueris, non eris immunis a delicto. Nam qui volunt divites fieri (inquit Apostolus) incidunt in laqueum diaboli. His igitur omnibus, juxta Domini consilium calcetis, distractis & pauperibus erogatis, Christum sequamur & imitemur. Qui, cum dives esset, egenus factus est, ut nos ejus ditaremur inopia. Et quia, doctissime Magister, te docente, veritatis viam & justitiæ semitam agnovimus, cum periculosum sit, vicino serpente dormire, & inter flammas illæsis pedibus ambulare difficile, restat, ut locum nobis inquiramus, in quo, licet in mundo, quasi sine mundo ab hominum consortio separati, peccata nostra deflere & pœnitentiæ dignos fructus facere valeamus. Doce nos igitur, quæso, & locum talem nobis ostende, & quicquid inde decreveris, faciemus. Nam salus nostra in manu tua est.

**[17] [in solitudinem, utpote quam variis iterum adductis] Ad hæc beatus Bruno respondit: Viri fratres & patres, audite, non me, sed mecum simul audiamus, inquam, illum summum secretorum Dei conscium, & Prophetam eximium David, cui Dominus incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit. Audiamus primo, quid dixerit, audiamus deinde, quid fecerit. Ipse enim tunc, sicut & nos nunc, contristatus in exercitatione sua, & conturbatus a voce inimici & a tribulatione peccatoris, dixit: Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me; timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Deinde subjecit, & ait: Ecce, elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Ecce, inquit, elongavi ab omni occasione & circumstantia peccatorum, & mundum istum mente & corpore fugiens, & mansi perseveranter, non in civitate, sed in solitudine. Ille enim fugiens se elongat (ut Gregorius ait) qui a turba desideriorum terrenorum in altam Dei contemplationem se sublevat: manet vero in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione. Unde idem Propheta, ut Dei virtutem & Dei gloriam videre mereretur, se solitudinis locum petiisse testatur, dicens: In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.**

**[18] Solitudo namque est via, quæ ducit ad vitam; [e sacra Scriptura locis,] ubi pro terrenis cælestia, pro transitoriis mutantur æterna. Hæc est locus pœnitentiæ, via justitiæ, semita gratiæ, scala gloriæ. Hæc est, inquam, scala illa, quam vidit Jacob in solitudine in terra stantem & cælum tangentem; quæ homines vehit in cælum, & angelos ad nostrum recipit auxilium. Hæc est virtutum nutrix, patientiæ custos, purissimæ simplicitatis magistra, & fraudulentæ duplicitatis ignara. Hæc est quies laborantium, consolatio mœrentium, & in æstu refrigerium, in qua est turris David ædificata cum**

propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, & omnis in ea armatura fortium. In qua est campus divini certaminis, angelorum spectaculum, & palæstra viriliter dimicantium luctatorum. In qua Adam tamdiu salvus fuit, quamdiu solus mansit. Data vero ipsi in auxilium muliere, mox cecidit. Unde raptus est Enoch in solitudinem paradisi, ne malitia immutaret cor ejus. In qua Abraham, dum solus sederet subtus ilicem Mambræ, tres vidit, & unum adoravit. In qua Jacob, dum, præmissis omnibus, solus manet, benedictione simul & nominis mutatione felix efficitur, plus assecutus uno momento solus, quam toto vitæ suæ tempore comitatus.

[19] Moyses, cum minasset gregem ad interiora deserti, [virorumque sanctorum,] Dominum in ardenti rubo videre & audire meruit dicentem sibi: Solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Cui numquam, nisi cum solus esset, Dominus apparuit. David, ad deserta fugiens, Saulis evasit insidias. Hieremias poscens aquam dari capiti suo, & oculis suis fontem lachrymarum, ut lugeret interfectos populi sui: locum quoque, ubi se tam sancto possit in opere liberius exercere postulat dicens: Quis dabit mihi diversorium viatorum in solitudine, tamquam hoc ei in civitate facere non vacaret, hoc modo indicans, quod impedirent socii gratiam lachrymarum. Quin etiam, cum dixisset, Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, addidissetque: Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, adjecit & ait: Sedebit solitarius & tacebit, quia levabit se supra se. Helias, in monte ad ostium speluncæ, solus, Dominum transeuntem agnovit. Et Heliseus duplicem ejus spiritum, dum tolleretur, accepit. Joannes Baptista, ab utero spiritu Sancto repletus, nec mirabili nativitate, nec parentum sanctitate securus, frequentiam hominum tamquam periculosam fugiens, solitudinis deserta petiit, ubi quid virtutis, quidve meriti acquisierit, baptismus Christi, & pro justitia mors suscepta monstravit. Talis enim

factus est in solitudine, ut dignus esset lavantem omnia Christum, solus lavare, & pro veritate nec carcerem, nec mortem declinare.

[20] Quid plura? Jesus Christus Dominus noster, cujus virtus nec secreto juvari, [ac ipsiusmet Christi exemplis laudet, secedendum insinuat,] nec publico poterat impediri, ductus est in desertum, non dubium, quin a spiritu suo, ut temptaretur a diabolo. Christus idem, relictis turbis, ascendit in montem solus orare. Christus in deserto turbas pavit, suo exemplo nobis, quantum solitudo prosit, insinuans. Sancti etiam & venerabiles patres, Paulus, Antonius, Hilarion, duo Macharii, Eulalius, Arsenius, Euagrius, Basilius, Benedictus, & cæteri nobis innumerabiles, quantum in solitudine profecerint, vosipsi considerate. Et probabitis, suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lachrymarum, magis nulla re, quam solitudine posse juvari. Hinc est, quod de peccatrice anima, quam cupit ad se Dominus revocare, Propheta ait: Adducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. De ea vero, quæ carnis vinculis absoluta, æterna gaudia intrare meruit, in Canticis dicitur: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ non invenitur per vicos aut plateas civitatis, sed in solitudine. Igitur, fratres mei, oremus Deum, ut nobis locum talem dignetur ostendere, in quo, quæ jam, eo inspirante, mente concepimus, possimus opere perficere.

[21] [dumque e duobus Stephanis, Burgensi ac Diensi, loca deserta,] Facta itaque oratione, duo Stephani, Burgensis & Diensis, canonici, dixerunt: Patres & præceptores venerabiles, non longe a civite Valentia, cui cohæret monasterium nostrum sancti Ruffi prope fluenta Rhodani, in confinibus diœcesis Diensis, unde alter nostrum originem duxit, est civitas alia Gratianopolitana,

sic dicta vel quia sub Gratiano imperatore cordita, vel ab etymologia nominis, quasi gratiosa, nobilis & populosa. Et in ea est Beatus Hugo, ejusdem civitatis episcopus, qui ante sui assumptionem ad episcopalem dignitatem, erat canonicus ecclesiæ Valentianæ oriundus de Castro novo super flumen Isaram, quod quatuor dumtaxat miliaribus a civitate distat. Quem nos ipsi, & vidimus & cognovimus virum utique Sanctum, justum & rectum ac timentem Deum.

[22] [pœnitentibus convenientia, in diœcesis Gratianopolitanæ montibus esse intellexit,] Si enim laudatur castitas, quis illo mundior? Si sermonis veritas, quis in loquendo cautior? Si Dei charitas, quis ferventior? Si proximi, quis benignior? Si humilitas, quis dejectior? Si eleëmosyna, quis largior? Si oratio, quis devotior? Si lachrymarum flumina, quis in illis effusior? Si contemplatio, quis sublimior? Si tolerantia, quis in tribulatione fortior? Si justitia, quis districtior? Si prudentia, quis circumspectior? Si temperantia, quis moderantior? Exceptis iis, quæ clero & plebi per eum bona advenerant. Hic itaque habet in diœcesi sua montes altissimos, & in eis deserta loca quam plurima ab omni hominum transitu & consortio separata, ad hanc pœnitentiam arctam peragendam propterea optime disposita. Cumque ipse exemplo suo & doctrina homines ad pœnitentiam invitet & trahat, si ad eum libet accedere, locum, quem quærimus, poterimus ab eo faciliter impetrare. Pius enim, benignus & misericors est. Qui & in adventu nostro gaudebit & voti compotes faciet. Nos quoque vos in via dirigemus, quam & novimus & frequenter ambulavimus.

[23] Tunc Hugo, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus sine canonico aut pastorali beneficio sacerdotio sacellani inter eos fungeretur, [seque ad hæc petenda paratum offert Hugo Capellanus,] ait: Audivi

certe plura de viro hoc, cujus fama jam ubique redolet, quia vir Dei & sanctus est, salutem animarum sitiens. Qui propterea, quia charitas, qua ipse plenus est, numquam excidit, nos libenter (ut spero) accipiet. Et quamquam ego jam senex sum & debilis, & via hæc arcta est, & difficilis, quia tamen arcta via ducit ad vitam, lata vero ad perditionem, cum nulla sit ætas ad pœnitentiam sera, dicente Domino: Quacumque hora ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ejus. Qui & reddi jussit singulis in vinea sua laborantibus denarios singulos, novissimis sicut & primis; si decreveritis illuc accedere, & hanc viam aggredi, & ego sequar, & quocumque perrexeritis, pergam. Et quæcumque vos terra receperit, me recipiet, ibique locum capiam sepulturæ, solaque mors nos ab invicem separabit.

[24] Hæc audientes reliqui duo, Andreas scilicet & Guarinus, [qualis debeat esse pœnitentia, Andreæ & Guarino laïcis,] pariter dixerunt. Nos semper audivimus, & ex auditu credimus, quia benignus est & misericors Deus, & præstabilis super malitia. Qui neminem vult perire, sed omnes potius salvos facere, & ad agnitionem veritatis venire. Apud quem non est personarum acceptio, sed in omni gente, qui fecerit voluntatem ejus, acceptus est illi. Et quamquam nos ambo literas ignoramus, Christum tamen & hunc crucifixum, fide novimus, sine quo omne scire nescire est. Et quicquid Ecclesia credit, firmiter credimus, & simpliciter confitemur, sperantes in hac fide salvari, & remissionem peccatorum accipere per verbum ejus. Vellemus tamen informari, cum Dominus per plusquam prophetam suum nos admoneat, ut faciamus dignos pœnitentiæ fructus, quales sint isti digni fructus. Quibus beatus Bruno respondens, Pœnitentia (inquit) est arbor, quam in medio Ecclesiæ suæ plantavit cælestis Agricola. Cujus radix est contritio cordis, rami sunt opera bona, folia, confessio integra, fructus vero, satisfactionis pœna.

[25] Unde ille facit pœnitentiam, sed non dignos fructus, [id petentibus, exponit,] qui tantum dolet de commissis. Ille vero agit pœnitentiam & fructus, sed non dignos fructus, qui & dolet, & in parte satisfacit. Sed ille facit dignos fructus, qui in dolore cordis tantum affligitur per pœnam, quantum deliquit per culpam, secundum illud Apocalypsis: Quantum se glorificavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Et in Deuteronomio. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Unde non solum fructus pœnitentiæ, sed etiam dignos fructus pœnitentiæ admonet esse faciendos. Nam hoc justitia exigit (ait Gregorius) ut, si quis in culpam lapsus est, tantopere a se debeat licita abscindere, quanto se noverit illicita perpetrasse. Non igitur ultra negligamus, fratres mei dilectissimi, pœnitentiæ tempus, nec ultra de die in diem differamus. Quia, qua hora Dominus venturus est, ignoramus, & nemo nostrum scit, utrum amore, an odio dignus sit. Jam securis ad radicem arboris posita est. Jam iste, quem viventem cognovimus, ut ex ejus ore jam frequentes audivimus, justo Dei judicio damnatus est & æternis cruciatibus datus.

[26] Quid igitur faciemus nos peccatores & miseri, qui ex operibus, quæ fecimus, justificari non possumus? [hosque simul ac alios ad virtutem illam] Nunquid personarum acceptor est Deus? Absit. Non est enim apud Deum transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio, sed quibus vult, miseretur, & quos vult, indurat. Quid, inquam, aliud faciemus, nisi ut fugiamus a ventura ira? Dedit enim Dominus metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus. Hinc & propheta ait: Fugite de medio Babylonis, ut salvet unusquisque animam suam; & iterum: Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini, & estote quasi hœdi ante gregem. Et iterum: Fugite, salvate animas, & eritis quasi miricæ in deserto. Item alius propheta Oh Oh Oh fugite de terra Aquilonis, quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos. Et beatus

Job: Fugite, inquit, a facie gladii, quoniam iniquitatum gladius est, & scitote esse judicium. Et sponsa in Canticis ad sponsum: Fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum, super montes aromatum. Quid, inquam, aliud hortantur omnes isti, nisi ut mundum istum contemnendo fugiamus? Qui recte per Babylonem & Aquilonem designatur. Nam Babylon interpretatur Confusio; ab Aquilone vero pandetur omne malum.

[27] [vehementius adhuc incendit,] Fugiamus igitur, quia eum non melius quam fugiendo superamus. Fugiamus, inquam a facie Domini, sed ad ipsum Dominum, ubique præsentem, humiliter deprecantes, ut per suam misericordiam avertat a nobis indignationem suam, quam juste meruimus, ne & nos omnes cum cæteris impiis pariter pereamus. Hæc dicens tam ipse, quam qui aderant cæteri, lachrymas ultra continere non valentes, fleverunt pariter, & prostrati in terram levaverunt voces suas dicentes: Domine Deus omnipotens, cujus misericordia omne superexcedit judicium; qui non lætaris in perditione morientium, sed eis potius pœnitendi tempus concedis & spatium, qui Abraham servum tuum de terra sua & de cognatione sua & de domo patris sui exire præcepisti, qui populum tuum in manu potenti eduxisti de terra Ægypti, qui vere pœnitentibus veniam promisisti, extende super nos, quæsumus, misericordiam tuam, & mittere digneris sanctum angelum tuum de cælis, qui doceat nos, quid agere debeamus, & dirigat nos in via justitiæ, & in semitis mandatorum tuorum, & locum, quem elegeris, nobis ostendat; in quo tibi digne servire, mundi hujus pericula evadere, & dignos pœnitentiæ fructus facere valeamus.

[28] [iterque cum omnibus iisdem Gratianopolim versus arripit.] Defende nos, Domine, ab insidiis inimicorum nostrorum, qui festinant cuncta perdere, & non intres in judicium cum servis tuis; sed per meritum passionis Jesu

Christi filii tui Domini nostri ab omnibus peccatis expiatos, fac nos post hujus vitæ exitum, ad eum, qui via, veritas & vita est, ab omni pœna liberos feliciter pervenire, Dominum nostrum Jesum Christum qui tecum in unitate Spiritus Sancti vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Cunque respondissent omnes Amen, surgentes inde, uno animo eademque sententia vendiderunt & pauperibus dederunt omnia sua, & vale dicentes omnibus suis charis & notis, Spiritu Sancto ducti venerunt, licet longa & laboriosa via, angelo Domini eos antecedente, dirigente & protegente, ad memoratum S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum.

## ANNOTATA.

Sanctus hic Pontifex ad S. Petri Cathedram anno 1073 fuit evectus, annoque 1085 obiit, uti ad XXV Maii diem, quo colitur, Romanoque inscriptus est, in Comment. Vitæ ejus prævio docuimus.

Henrico patri anno 1056 successit, annoque 1106 vivere desiit, uti ad utrumque hunc annum Pagius in Criticis aliique scriptores docent.

Non quod ea haud fuerint vere pœnitenti peccata antecedentia remissa, sed quod, qui relabitur, relatum ex eadem fructum amittat.

## CAPUT II.

## Bruno una cum sociis suis ad Hugonem, Gratianopolitanum episcopum, venit, Cartusiæ eremum ab eo obtinet, austere admodum in hac vivit, ac post sexennium circiter a Pontifice evocatur, vocantique obtemperare statuit.

[Sanctus ejusque socii Gratianopolim adveniunt, benigneque ab Hugone episcopo,] Factum est autem, dum appropinquarent civitati, vidit idem episcopus in somnis Deum, in solitudine Carthusiæ dignum sibi habitaculum construentem. Vidit etiam stellas septem aureas, in modum coronæ dispositas, a terra paululum elevatas, & a cæteris, quæ in firmamento sunt, in situ, motu, colore & splendore differentes, ejusdem numeri viris septem (tot enim ipsi erant) itineris ducatum præbentes. Mane autem facto, cum esset super visione hujusmodi sollicitus, affuerunt pulsantes ad fores episcopalis palatii dicti septem viri, beatus scilicet Bruno cum suo, licet brevi, sancto tamen collegio. Quod cum fuisset eidem episcopo nunciatum, confestim jubet eos introduci. Ipsi vero ingressi, & ad pedes ejus humiliter prostrati, petita & obtenta benedictione, sui ad cum adventus causas enarrantes, petierunt, ut locum aliquem dignaretur eis in sua diœcesi ostendere, & sua benigna clementia, pia erogatione concedere; in quo a mundi hujus periculis, & ab hominum ceterorum consortio segregati, desiderium suum perficere, soli Deo digne servire, & dignum ipsi habitaculum possent exstruere.

[30] Hæc audiens beatissimus episcopus, tanquam non amplius de visione, [qui visione sibi oblata designari illos putat, excipiuntur.] quam jam impletam videbat, sollicitus, eos cum ingenti gaudio, non solum gratanter, sed etiam reverenter suscepit, & benigne tractavit. Quibus & visionem illam, quam nocte illa per somnum viderat, enarravit, & ait: Fratres & filii mei in Christo dilectissimi, propositum & desiderium vestrum non solum non reprobo, sed etiam vehementer commendo. Mundus enim iste, talibus & tantis plenus est laqueis, periculis, calamitatibus & miseriis, ut electos plerumque cogat prospera quæque despicere, & Deum per adversa quærere, cum non possint Deum simul cum mundo diligere. Nam duo isti amores duas civitates constituunt,

quæ sibi invicem adversantur, Dei scilicet & diaboli. Deus autem bonus, immo summum bonum est. Mundus vero totus in maligno positus est. Hinc præ cæteris magis dilectus Apostolus ait: Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Unde cum decrevisset Deus Sodomorum civitates delere, ait angelus ad beatum Loth, qui ad Dei civitatem pertinebat, Salva, inquiens, animam tuam, & noli respicere post tergum, nec stes in omni loco circa regionem, sed in monte salvum te fac, ne & tu similiter pereas. Sancti enim illi, quibus dignus non erat mundus, Apostolo teste, egentes, angustiati, afflicti, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.

[31] Et ideo testimonio fidei probati inventi sunt. [Ac primo quidem ab eo, qui de propositi illorum difficultate] Quorum vestigia sequi & imitari laudabile est & utile, sed difficile in regionibus istis frigidis maxime, quæ non sunt sicut Ægyptus, Thebais, Scythia, aut Palæstina. Est enim in montibus istis altissimis, quos cernitis inter cæteras solitudines, eremus quædam, quæ Carthusia nuncupatur, decem fere miliaribus a civitate distans, ampla quidem, sed penitus inhabitata, solis feris pervia; hominibus vero & cæteris mansuetis animantibus propter loci asperitatem pene incognita, altis & tanquam excisis hinc inde rupibus & scopulis circumvallata, infructuosis arboribus consita, supra modum frigida, & pro majore parte temporis nivibus operta, & adeo prærupta, sterilis, & infructuosa, ut nihil in ea seri valeat sive meti. In cujus medio est quidam parvus fluvius, qui Gnerus mortuus, quasi quædam imago mortis, dicitur, ex circumstantibus undique montibus collectus, & cum strepitu maximo, torrentium aut inundantium aquarum more, fluens. Ad quam quidem Carthusianam eremum est accessus gravis & laboriosus, ingressus vero difficilis & periculosus, utpote inter duas miræ altitudinis rupes, quæ velut rectæ lineæ

sursum se erigunt, & in culmen tandem pene coëunt, ita ut introëuntibus horrori sint & terrori.

[32] [nonnula disserit, e Brunonis verbis] Et ut paucis agam, tanta est loci illius asperitas, tantus horror, ut carcer potius aut purgatorii locus, quam humanæ vitæ habitaculum dici possit. Unde difficile videtur sine singulari dono Dei, apud quem nihil est impossibile, homines illic habitare posse, aut saltem diu perseverare; scitis autem, fratres mei, quam grave sit post missam manum ad aratrum retro aspicere. Unde metuendum est exemplum uxoris Loth, quæ retrospexit, & ubi aspexit, ibi remansit, & in salem conversa est, ut suo prudentes condiret exemplo. Quum autem verbis illis finem fecisset beatissimus episcopus, B. Bruno respondit: Reverendissime pater, terribilis profecto est, ut audivimus, & jam in parte cernimus, locus iste. Nos autem locum talem ad pœnitendum quærimus. Et quamquam infirmi sumus & fragiles, in Dei tamen, qui potens est, misericordia confidimus, & speramus, ut qui nobis dedit huc veniendi voluntatem, dabit & perseverandi potestatem, cum non sit abbreviata manus ejus, quo minus, sicut olim, ita & nobis nunc magnalia sua possit ostendere. Ipse enim scopulos torrentium inclinavit, ut requiesceret populus in Arnon, & recumberet in finibus Moabitarum. Ipse Jonathan & armigerum ejus, reptantes manibus & pedibus, per eminentes petras & scopolus, in modum dentium præruptos, de hostium manibus, data ipsis de illis victoria, liberavit.

[33] [pleni in Deum fiducia constantesque deprehensi] Ipse tantam multitudinem filiorum Israel & vulgus innumerabile in deserto manna de cælo misso nutrivit. Nunquid & nunc panem dare non poterit, aut parare mensam populo suo? Ipse corvis præcepit ut pascerent Heliam in Carmelo, qui & paverunt Paulum in Ægypto. Ipse prandium, quod messoribus Abachuc paraverat in

Judæa, Danieli misit in Chaldæam. Ipse panes in deserto multiplicavit, ex quibus tantam hominum multitudinem satiavit. Ipse dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Ipse pascit volatilia cæli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. Nonne & nos Domino pluris sumus illis? Non itaque, etiamsi nobis defuerint humana solatia, de Dei præsentia diffidemus, & providentia, cum potens sit de lapidibus istis, quos vidimus, panes facere, & aquam in vinum convertere. Qui etiam, quum voluerit, potens est dare nivem sicut lanam, & nebulam sicut cinerem spargere. De tanta igitur ejus potentia & bonitate confisi, iterum ac iterum humiliter supplicamus, ne desiderium nostrum ultra differas, aut nos in hac nostra petitione confundas. Tunc beatus Hugo, eorum constantiam, & in cœpto proposito perseverantiam considerans, ne eorum vocationi, & divinæ voluntati resistere videretur, ait: Desiderium vestrum, dilectissimi, ego pariter implere desidero, nec ideo distuli, ut auferatur, sed ut dilatione potius augeatur.

[34] [Cartusiæ eremo donanturtum vero,] Videns itaque voluntatem vestram, in Christi charitate radicatam & fundatam, vobis & iis, quos eadem charitas vobiscum traxerit, nunc & in posterum, fratres, locum prædictum, & quicquid juris vel actionis in eo habeo, plena libertate concedo. Et hoc idem a cæteris omnibus, qui jus aliquod in eo habent, fieri procurabo, vobisque & vestris omnibus omnem possibilem mihi humanitatem, quamdiu vixero, libenter exhibebo. Et nihilominus pro pace & quiete vestra ad removendum ea, quæ vestro proposito contraria sunt, domum unam super pontem, qui inter duas rupes prædictas situs est, in introitu dictæ solitudinis ædificari volo, & authoritate divina prohibebo, ut fœminæ per terminos vestros nullatenus transeant, neque viri arma portantes. Prohibebo pariter intra dictos terminos piscationem, venationem, & avium captionem, ovium,

caprarum, atque omnium domesticorum animalium pascua & transitum, Deum rogans, ut obedientes huic nostræ donationi & prohibitioni in sua gratia multiplicet, & in omnibus bonis, quæ ibidem usque in seculi finem gerenda sunt, partem eisdem tribuat; inobedientes vero divino judicio puniendos relinquo, quos & per secularem potestatem puniri curabo.

[35] His dictis, surgens amplexatus est eos, flevitque præ gaudio super singulos eorum, [Deo prius, ut ipsis adesse dignetur, invocato,] laudans & benedicens Deum de adventu ipsorum. Et deinde benedixit eis dicens: Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiæ nec mensuras ponere possumus, nec tempora definire; qui, quos vis, vocas, & quos vocas, hos justificas & magnificas, respice, quæsumus, oculis clementiæ tuæ super hos famulos tuos, quos ad tuæ servitutis obsequium invitare dignatus es, & præsta auxilium gratiæ tuæ, ut, quæ tibi placita sunt, tota virtute perficiant. Reple eos venerabilibus virtutibus tuis, quibus muniti, carnis, mundi & dæmonum insidias superare, & inde victoriæ coronam immarcessibilem recipere valeant, crescereque eos facias in mille millia, & eos, necnon & illos, qui eorum vestigia secuti fuerint, & in dicta solitudine usque in finem vitæ suæ in vera humilitate & charitate perseveraverint, ab omni culpa & pœna liberos, Sanctorum tuorum collegio sociare digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

[36] Post hæc autem, quia dictus Bruno & ejus sodales omnes erant propter itineris labores non modicum nec immerito fatigati, [in eam etiam ducuntur. Cellulas ibidem ædificant,] retinuit eos idem beatissimus episcopus in suo episcopali palatio, & eos sua solita benignitate procuravit & recreavit per dies aliquot. Quibus expletis, & præparatis ac dispositis omnibus, quæ necessaria erant in via, ascenderunt in montem & intraverunt ac inhabitare cœperunt dictam eremum Carthusiæ circa solemnitatem

nativitatis sancti Joannis Baptistæ, anno salutis nostræ supra millesimum octogesimo quarto, antecedente & dirigente eos, ac in omnibus & per omnia adjuvante, & de necessariis providente præfato beato Hugone episcopo. Et ibidem in parte superiore montis, quæ nunc dicitur Ad beatam Mariam de Casalibus, ædificare cœperunt ecclesiam, necnon & parvas cellulas, non longe a dicta ecclesia distantes, circa quemdam fontem, qui usque in præsentem diem vocatur fons Brunonis, de se tamen invicem distinctas & aliquantulum separatas, ne alter alterius solitudinem impediret. In quibus singuli per singulas more illorum antiquorum Ægyptiorum monachorum habitabant. Ubi silentio, lectioni, orationi, atque operi manuum, maxime in conscribendis libris, jugiter insistebant. Qui exinde dicti sunt Fratres Carthusienses, a nomine loci nomen sibi imponentes, a quibus etiam Ordo iste Carthusiensis originem sumpsit pariter & nomen.

[37] [vivendique modum,] Ipsi enim septem (beato Brunone cæteros, qui sibi eum in Priorem & animarum suarum pastorem elegerant, & cujus obedientiæ, beato Hugone episcopo annuente, se submiserant, dirigente, volentes mundum, quem reliquerant, & quæ in mundo sunt, omnia, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, sibi subjicere, quandam vivendi normam satis arduam instituerunt, quam & ipsi tenuerunt, & posteris suis tenendam mandaverunt. Nam contra superbiam, quæ initium est omnis peccati, & contra ejus nefandam sobolem, invidiam scilicet, ambitionem & vanam gloriam, & si qua sunt alia, fecerunt sibi vestes breves & angustas de grosso panno albo, vili & rudi, quæ eos contemptibiles intuentibus redderent & abjectos, & illis horrori essent potius, quam ipsis honori. Et quamvis in sordido habitu interdum superbia lateat, fecerunt tamen ipsi ad eam profugandam, quicquid facere potuerunt. Contra

cupiditatem vero, quæ radix omnium malorum dicitur, & avaritiam, quæ idolorum servitus nuncupatur, certos terminos juxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem majores minoresve præfixerant, ita ut extra eos, etiamsi totus mundus eis offerretur, nec saltem, quantum pes humanus occupare potest, liceret possidere.

[38] [cujus capita aliquot] Certum etiam numerum, quem transgredi nullo modo liceret, animalibus & pecoribus imposuerunt. Et ut non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ quam dictum est, possessioni suæ addere, aut pecorum numerum augere, duodecim tantum monachos cum tertio decimo Priore, ac sexdecim conversis, paucisque mercenariis, nullo prorsus superaddito, in suis domibus esse perpetuo decreverunt. Ad edomandam autem carnis concupiscentiam, & legem membrorum, quæ repugnant legi mentis, duris semper ad carnem ciliciis utebantur. Secunda, quarta & sexta feriis, pane & aqua & sale, sicui placebat, contenti erant. Tertia vero, quinta & Sabbato legumina vel aliquid hujusmodi & vinum, & in feria quinta etiam caseum vel aliquid aliud a coquinario recipiebant, ab omni tamen esu carnium tam sani quam infirmi perpetuo abstinebant. Panes albos non comedebant, sed solum tortas, licet de tritico. Vinum purum nunquam bibebant, sed bene dilutum, quod vocant limphatum, & hoc duntaxat in prandio & cœna, & diebus illis, quibus eo uti & cœnare licebat. Jejuniis fere continuis & prolixis vigiliis carnem macerabant. Pisces nunquam emebant, sed si forte gratis eis dabantur, eos in charitate recipiebant, & juxta offerentium voluntatem (diebus tamen, quibus eis vesci licebat) distribuebant.

[39] [hic recensentur, admodum austerum tenent,] Officium divinum, diurnum pariter & nocturnum, tam in ecclesia, diebus & horis illis, quibus in eam conveniebant, quam per cellas, non perfunctorie, ut quidam, sed intentissime, oculis in terram demissis, cordibus vero in

cælum fixis, devotissime persolvebant. Totum quoque suum, tam interiorem quam exteriorem, hominem habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis aliis, intentum, immo affixum Deo, exhibebant. Diebus vero Dominicis & certis Sanctorum festivitatibus tantum antiquorum eremitarum more, ne ab aliis sacris operibus, licet dignitate inferioribus, impedirentur, Missæ Sacrificium offerebant, quo omnes pariter conveniebant. Et ipsis diebus in refectorio simul ad ritum monachorum comedebant. Aliis vero diebus in cellis suis sub arcto silentio, orationi, meditationi, contemplationi, & ceteris piis & devotis exercitiis sine intermissione vacabant, ita ut, ubi prius fuerant specus & cubilia ferarum, tunc videres choros castrorum, cuneos prophetarum, conventus monachorum, & cætus angelorum.

[40] Memoratus autem episcopus sanctus Hugo, eos frequenter visitabat, [Hugonem erga se benevolum semper habentes. Cartusiam biographus, quod hosce,] & ut filios tenerrime diligebat; quos usque ad mortem suam & non tantum eos, sed & qui eis exinde successerunt, consiliis semper fovit, & beneficiis. Eratque inter eos, non ut dominus aut episcopus, sed ut socius, & frater humillimus, & ad cunctorum (quantum in ipso erat) obsequia paratissimus. In tantum autem devotus eremum incolebat, ut eum interdum beatus Bruno inde exire & ad oves suas redire compelleret. Ite, inquit, ite ad oves vestras, & quod eis debetis, exolvite. Ipso etiam beatissimo episcopo instante & procurante, circunvicini omnes, tam ecclesiastici quam nobiles & populares, videntes beati Brunonis & ejus sodalium tam sanctam ac tam honestam ac devotam conversationem, dederunt eisdem, quicquid juris habebant in dictis montibus, & intra fines & limites dictæ solitudinis. Isti itaque sunt, o felix Carthusia, primi patres illi, qui hanc vastam solitudinem primi inhabitare cœperunt, & in ea Ordinem hunc, qui a te nomen velut oleum ubique terrarum

effusum accepit, primi fundaverunt. Isti sunt septem columnæ, quas Sapientia excidit, & in quibus sibi domum ædificavit. Isti sunt septem boves ascendentes de fluvio, & septem spicæ in culmo uno. Et septem buccinæ, quarum usus erat in jubileo.

[41] Isti sunt septem candelabra, in quorum medio Joannes scribens septem ecclesiis, [ad quorum septenarium numerum] quæ erant in Asia, perhibet se vidisse similem filio hominis, vestitum podere, tenentemque in dexterra sua septem stellas, quæ septem ecclesiarum sunt angeli; & in medio throni agnum stantem, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, in omnem terram missi. Isti sunt septem sportæ fragmentis plenæ, & septem signacula libri clausi, & septem viri, Spiritu Sancto pleni, quos in diaconos ad ministrandum elegerunt Apostoli, & septem gradus, quos vidit Ezechiël ad ascensum exterioris atrii. Iste est septenarius, propter septem Spiritus Sancti dona sacratus. Iste septenarius numerus primus in monadibus perfectus est redditus ex suis partibus aggregatus. Nam unum & sex, duo & quinque, tria & quatuor, quæ sunt partes ejus aliquotæ, septem faciunt. Hinc est, quod septimus dies, & septima hebdomada, & septimus mensis, & septimus annus, tanquam perfecti, erant lege feriati.

[42] Septem etiam diebus agitur & repetitur omne tempus. [diversimode hic alludit,] Et septimo die cessavit Deus ab omni opere. Et septimo die Christus in sepulero quievit. In quibus omnibus notatur hujus sacrati septenarii numeri, & in eo hujus sacræ Religionis (quæ ab ejusdem numeri viris istis septem primo instituta est) perfectio. Quæ recte figurata dicitur per stellas illas septem, quas in eorum adventu beato Hugoni Dominus demonstravit, tam propter magnum hujus septenarii sacramentum, quam propter stellarum sublimitatem, stabilitatem, claritatem, puritatem, & quantitatem. Istæ nanque

virtutes Religiosis omnibus nedum conveniunt, sed etiam necessariæ sunt: qui debent sicut stellæ esse in cœlo, per contemplationem & mentis affectum, non in terra. Nam species cœli est gloria stellarum, ait Sapiens, secundo debent esse in cœpto religionis proposito firmi & stabiles. Nam ideo posuit Deus stellas in firmamento, ut essent in signa & tempora, & dies, & menses & annos. Unde scriptum est, quod stellæ manentes in cursu suo & ordine, pugnaverunt contra Sisaram, id est, contra diabolum: sic enim Sisara interpretatur Excludens gaudentem. Tertio debent esse in tribulatione patientes, ut sint sicut stella matutina in medio nebulæ.

[43] [habitatores nacta sit, felicem prædicat.] Fecit enim Deus lunam & stellas, ut præessent nocti. Quarto sicut in stellas non cadit corruptio, nec casus, nec error secundum Philosophum, ita & ipsi debent servare carnis integritatem sine corruptione, ut dicere possint illud Apocalypsis: Ego sum genus & radix David, stella splendida & matutina. Et ne de eis dicatur, quod stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus. Quinto, sicut stellarum quælibet major est tota terra, quamvis brevis & quasi punctalis, & modica videatur in exteriori apparentia, sic Religiosi debent semper crescere per charitatem, minui vero per humilitatem. Hæc enim duo, humilitas scilicet & charitas, sunt duo religionis extrema, initium & finis, sine quibus cætera, quæ mediant, omnia sunt potius pœna, quam merito digna. O igitur iterum atque iterum felix Carthusia, tamdiu sterilis, nunc vero fœcunda! Felices montes, qui tales meruerunt habere incolas & cultores! Felix denique Religio ista divinitus instituta, quæ Religiones cæteras post Augustinum & Benedictum antiquitate præcedit, & has illas etiam vitæ austeritate! De cujus origine hæc pauca, ut ad cœptum propositum redeamus, sufficiant.

[44] [S. Bruno ex ea ab B. Urbano II Papa evocatur,] Beatus itaque Bruno, de quo nobis sermo, in hac vitæ austeritate cum suis in dicta solitudine fere sex annorum spatio perseveravit, die ac nocte sine intermissione jejuniis, orationibus & aliis exercitiis religiosis vacans. Contigit autem, ut, mortuo S. Gregorio septimo Pontifice Romano, succederet ei in Papatu Victor Tertius; quo item post paucos menses mortuo, successit ei B. Urbanus secundus, prius dictus Otho, monachus & abbas Cluniacensis, qui ejusdem beati Brunonis, dum in minoribus ageret, fuerat discipulus. Qui paulo post sui assumptionem ad Apostolatus apicem, non immemor doctrinæ & probitatis ejusdem beati Brunonis, sui olim præceptoris, volensque in sibi a Christo credita administratione ejus uti consiliis, vocavit eum ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium, addito etiam obedientiæ præcepto. Dictus vero beatus Bruno, percepto hujusmodi mandato, non modicum turbatus est, quippe qui jam solitudinis dulcedinem gustaverat. Tenebat enim eum Maria, ut quiesceret, trahebat Martha, ut laboraret, rogabant fratres, ne se deseroret, Papa, ut obediret. Terrebat curia, si illuc accederet: conscientia vero timorata ignorabat, quid in re tam perplexa ageret.

[45] Tandem obedientia vicit. Sciebat enim, quod vera obedientia moras non recipit, [Pontifici obtemperandum statuit,] nec excusationem aut dilationem admittit. Hinc ad fratres & discipulos suos ait: Manere vobiscum, fratres mei dilectissimi, gratissimum; a vobis separari gravissimum; mandatis vero Apostolicis obedire necessarium mihi est. Nam in majoribus est regendi ac jubendi authoritas; in minoribus vero obsequendi necessitas. Unde quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, propterea quod Apostolus ait, ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, quia non est potestas nisi a Deo; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt,

& qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistit, ipse sibi damnationem acquirit. Quid igitur mihi prodesset exterius hic vobiscum jejuniis & abstinentiis carnem atterere, & per inobedientiam, animæ meæ damnationem acquirere? Nolite itaque, fratres, super recessu meo contristari, ne superaddatis dolorem dolori, sed potius in ea vocatione, in qua vocati estis, perseverate. Et ego, expleta mihi injuncta obedientia, ad vos revertar, Domino concedente.

[46] Tunc omnes cum lachrymis & ejulatu magno clamare cœperunt dicentes: [abiensque Siguino, Casæ-Dei abbati, locum resignat.] Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Tu es enim post Deum omnis spes nostra, totumque refugium. Tu nobis in adversis præsidium, in prosperis solatium, in temptatione consilium, in infirmitate subsidium. Quid igitur, te recedente, faciemus, aut ad quem, te absente, recurremus? Erimus profecto sicut oves errantes, non habentes pastorem. Si igitur te ad Romanum Pontificem obedientia trahat, trahet nos tecum supereminens charitas, quæ est in Christo Jesu, quam separare non poterit, neque mors, neque vita, neque creatura aliqua. Beatus itaque Bruno hæc audiens, timens, ne propter suum & suorum inde discessum locus prædictus, jam Deo dicatus, ad manus laïcas & prophanas iterum deveniret, nolensque illum omnino deserere, sed post expletam sibi impositam pœnitentiam eum intendens cum suis repetere, commendavit & dedit illum venerabili viro domino Siguino, abbati monasterii Casæ Dei, qui fuerat unus ex primis donatoribus prædictis, & habebat quandam cellam sibi vicinam prope Gratianopolim subter castrum Curnilhionis.

## ANNOTATA.

Loquitur hic indubie noster biographus, non de Scythia, Septemtrionali Asiæ regione, in qua non minus, quam in terrarum tractu, Carthusiæ eremum complectente, frigida est aëris temperies, sed de Ægypti deserto Schetes seu Sciti, Schythia etiam a nonnullis nuncupato, quod, non secus atque alias Ægypti de Palæstinæ solitudines, ingens olim, uti apud Rosweydum in Vitis Patrum videre licet, anachoretarum multitudo incolebat.

Ut, quam horrida fuerit Cartusiæ solitudo, antequam hanc cum sociis suis Sanctus noster ingrederetur, distinctius explanatum invenias, adi Commentarium prævium § 26.

## CAPUT III.

## Sanctus e Cartusia Romam se confert, secutis huc discipulis, ut Cartusiam repetant, suadet, ipseque in Calabriæ, obtenta a Pontifice secedendi facultate, recusatoque Rhegiensi archiepiscopatu, deserta sese abdit, benevolum ibi erga se comitem Rogerium habet, novas ecclesias condit, sanctissimeque vivit ac moritur.

[Romam Bruno venit, discipulis, qui secuti eo illum erant,] Et deinde a beato Hugone episcopo benedictione suscepta, Romam accessit. Urgebat enim Apostolicum imperium. Quem Pontifex, de ejus, quem intime diligebat, adventu plurimum gaudens, benigne suscepit, & inter primos & præcipuos sibi peculiares ac familiares consiliarios, & fideles amicos habuit. Cujus in majoribus causis & arduis Ecclesiæ negotiis utebatur & adhærebat consiliis. Convenerunt autem ad eum, Spiritu Sancto hoc operante, cæteri fratres omnes, qui prius cum eo in Carthusia fuerant, dolentes plurimum, ipse vero magis, quod locum prædictum Carthusiæ, quem Dominus sibi

elegerat, & in quo dignum illi habitaculum construxerat, reliquissent. Dum enim eis in mentem venirent, non sicut murmuratoribus illis in deserto, carnes, cucumeres, aut pepones, sed devotæ illæ meditationes, orationes, lectiones, & spiritales consolationes, quas prius in solitudine prædicta Carthusiæ habuerant; & viderent tumultus, strepitus, & pericula curiæ, non poterant se a lachrymis continere.

[48] Tandem vero suasu & inductione ejusdem beati Brunonis, [Cartusiam ut repetant, suadet,] cum nondum posset ipse pro se licentiam seu commeatum redeundi a Pontifice obtinere, tanquam illi in tunc occurentibus negociis necessarius, omnes unanimiter consenserunt ad Carthusiam reverti, obtentis prius ab eodem summo Pontifice literis ad prædictum abbatem Siguinum pro restitutione dicti loci; quem illi beatus Bruno inde discedens (ut jam dictum est) remiserat. Magistro itaque Lauduino, quem cæteris fratribus beatus pater Bruno in Priorem loco sui præposuerat, ductore, omnes Carthusiam repetiverunt. Quibus Siguinus abbas rogatu summi Pontificis & ejusdem beati Brunonis, cum consensu sui conventus & in præsentia præfati beati Hugonis Gratianopolitani episcopi, & alterius Hugonis Lugdunensis archiepiscopi, locum prædictum Carthusiæ libere remisit, ac juri eorum & successorum eorundem tradidit perpetuo possidendum. Et ex tunc dictus Lauduinus Prior, & cæteri fratres ac eorum successores usque in præsentem diem dictam eremum Carthusiæ cum suis finibus & juribus tenuerunt & possederunt, perseverantes in ea sub communi obedientia capituli generalis totius Carthusiensis Ordinis, quod ibidem annis singulis celebratur juxta vivendi normam ab eodem beato Brunone primo, & deinde a cæteris Carthusiæ Prioribus, & a dicto generali capitulo eis datam.

[49] [cumque consiliis Urbanum Papam, qui Melphi & Placentiæ, ac dein etiam] Dictus vero beatus Bruno eidem Urbano Pontifici charus, in regimine Ecclesiæ utiliter & fideliter inserviebat. Erat enim tunc Ecclesia in turbatione maxima propter persecutionem Henrici quarti imperatoris prædicti, qui quendam Gilbertum, quem Clementem vocavit, de facto in Papatum intruserat. Qui ambo, Henricus scilicet & antipapa Clemens, verum Pontificem Urbanum persequebantur. Quorum furorem idem Urbanus declinans, cum in Romanis (& merito) minime confideret, postquam in Melphi consilium habuisset, Placentiam venit, & ibi aliud concilium celebravit, in quo inter cætera petulantiam quorumdam ecclesiasticorum, Gratiano teste, animosissime compescuit. Et plura in eos decreta fecit, maxime contra ecclesiasticos incontinentes & simoniacos, & contra proprietarios & instabiles monachos. Deinde nec ibi securus, ejusdem imperatoris iterum furorem fugiens, relicta Italia, in Gallias transmigravit. Ubi denuo de salute fidei cogitans, aliud concilium apud Clarummontem, civitatem Alvernorum, convocari fecit, in quo, eodem Gratiano teste, plures alias constitutiones ordinavit, quæ ad erigendum labentis Ecclesiæ statum respicere videbantur. Et inter cætera statuit, ut Horæ beatæ Mariæ a clericis quotidie dicerentur, & ut in Sabbatis ejus Officium solemniter celebraretur.

[50] [Claromonte in Gallia concilium celebravit,] Legi autem in quadam historia, quæ Fasciculus temporum dicitur, quod hoc beata Virgo fratribus in Carthusia revelaverat, haud dubium, quin beato Brunoni & ejus sodalibus; cum ipsi soli adhuc Carthusienses dicerentur. In eodem etiam concilio rem memoratu dignam fecit. Nam principes Galliæ, & cæteram multitudinem, quæ ad concilium convenerat, ad expeditionem contra Turcas pro recuperatione Terræ Sanctæ taliter animavit, ut trecenta milia hominum nomen suum in militiam Christi dederint, signumque crucis susceperint. Inter quos erat Gotfridus

de Builhon, dux Lotharingiæ; quo duce moventes per Germanorum fines atque Pannoniam, Bizantium vadunt, ac deinde, transmisso Hellesponto, Niceam primo, mox Antiochiam, & plures alias Saracenorum urbes, deinde Hierosolymam civitatem Sanctam, & omnem circa regionem capiunt. Ubi dum vellent Christiani dictum Gotfridum in regem coronare, renuit ipse, dicens, se nolle auream ferre coronam in ea urbe, ubi Christus spineam tulerat p. Tenuerunt autem dictus Gotfridus & septem alii reges Christiani post eum annis octoginta octo dictum regnum Hierosolymitanum, devictis Babyloniis & Ægyptiis, cum magna infidelium strage, & maximo incremento nominis Christiani. Quibus omnibus causam dedit idem Pontifex B. Urbanus II in dicto Claromontensi concilio.

[51] Quum itaque beatus Bruno eidem Pontifici propter obedientiæ meritum certis annis, [aliquamdiu juvit, secedendi a curia facultatem ab eo impetrat,] licet paucis, adhæsisset, & non modicum Ecclesiæ sanctæ Dei circa ejus reformationem & circa recuperationem Terræ Sanctæ suis consiliis profuisset, ut ejusdem Urbani inde secuta decreta, & alia ejus acta prædicta testantur, nec posset diutius tantas inquietudines, & curiæ tumultus ac strepitus sustinere, ad solitudinis ac cellæ, quam dimiserat, quietem jugiter aspirans, antequam idem Pontifex de Placentia transiret ad Galliam, humiliter & cum geminata instantia ab eodem Pontifice petiit & tandem obtinuit veniam & commeatum, ut, relicta curia, eremum, quam reliquerat, repeteret, aut aliam sibi quæreret, quam Dominus ipsi dignaretur ostendere. Et quum idem Pontifex voluisset eum confirmare in archiepiscopatu ecclesiæ Rhegiensis, quæ est prima metropolis totius Calabriæ, ad quam, eodem annuente Pontifice, electus fuerat, ipse electioni a se factæ, sciens ex iis, quæ in Scriptura sacra legerat, & ex iis, quæ in curia & viderat & audierat, qualia & quanta sint in prælatione pericula, consentire recusavit, non quidem

pertinaciter, sed solo quietis amore & desiderio, servata semper (ut decens est) ad superiorem obedientia & humilitate, & ad proximos charitate.

[52] Tunc enim, ut dicebat beatus Gregorius, ante Dei oculos vera servatur humilitas, [in Calabriæ deserta una cum aliquot aliis se abdit,] quum hoc, quod quis utiliter subire præcipitur, pertinaciter non recusat. Unde potest quis etiam idoneus laudabiliter ex humilitate prælationis officium recusare, eodem Gregorio dicente, quod prælatio propter meliorem intentionem fugienda est, maxime cum ad hoc superna voluntas agnoscitur. Cum voluntate igitur, venia & benedictione Pontificis idem beatus Bruno, relicta curia, Calabriæ deserta penetravit, non quidem solus, sed junctis sibi quibusdam aliis ejusdem propositi viris, quos bonus odor vitæ ipsius ad solitudinem quærendam traxerat. Audiverat enim, illic deserta esse loca & solitaria quamplurima, ad peragendum pœnitentiam aptissima. Et quamvis intenderet & optaret, prout jam sæpius decreverat, Carthusiam repetere, quam reliquerat, & illuc fratres suos sequi, quos ante præmiserat, quia tamen (ut prædictum est) Pontifex cum curia sua transibat ad Galliam, in cujus finibus sita est Carthusia, ne curiam, quam fugiebat, sequi videretur, sed ut elongaretur ab ea, Calabriam potius elegit, quam Carthusiam, cum ea tamen semper intentione & voluntate, ut, sedatis rebus, ut primum commode posset, Carthusiam repeteret, prout in quibusdam ejus literis, quas ex Calabria scripsit fratribus suis, qui erant in Carthusia, apparet, quarum verba sunt hæc: De me, fratres, scitote, quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos, & videndi, & quando potero, opere adimplebo, Deo adjuvante.

[53] Venit itaque cum suis prædictis ad quandam eremum in finibus Calabriæ, [a comite Rogerio, venationi operam dante, ibi invenitur,] quæ dicitur Turris in diœcesi

Squillacensi, ibique non cellas, quia sumptus ad eas non suppetebant, sed speluncas plures sive cavernas eremitis congruentes de vili quidem materia, sed in Christo preciosa ædificavit, in quibus nocturnis excubiis pariter atque diurnis ipse & qui cum eo convenerant fratres, divinis laudibus & orationibus insistebant, in ea austeritate vitæ, quam ipse prius in Carthusia tenuerat, & suis tenendam præceperat. Contigit autem, Domino hoc operante, dum quadam die princeps Calabriæ Rogerus cum suo non parvo comitatu, & cum canum multitudine copiosa in dicta eremo Turris venaretur feras, canes olfactu suo diversa ferarum ipsarum vestigia insequentes, ad dictas speluncas, in quibus beatus Bruno, & qui cum eo venerant, fratres pariter habitabant, devenirent. Ubi, fixis pedibus, latratibus multis domino suo indicabant, se prædam magnam aliquam invenisse. Ad quos dictus princeps cum suis concito cursu veniens reperit patres prædictos in dictis speluncis, flexis genibus & erectis in cælum vultibus & manibus simul orantes & Deum laudantes.

[54] [benevolum hunc erga se tunc experitur.] Quod ille intuens, magna admiratione repletus, de equo, cui insidebat, desiliens devote & humiliter salutavit, & de eorum illuc adventu, & singulorum statu diligenter interrogavit. Quibus cognitis, gavisus est valde, Deum laudans & glorificans, quod tali se dignatus esset præda dignum facere, sperans & se & terram suam eorum meritis & precibus adjuvari, & in pace tueri. Et propterea ut possent ibidem quietius vivere & diutius perseverare, dedit eis ecclesiam beatæ Mariæ & Sancti Stephani de eremo; ubi eos frequenter visitabat, & de vitæ necessariis providebat, documentaque salutis ab eis libenter audiebat. Et beatum Brunonem, ipsorum omnium pastorem & patrem, quem præ ceteris intime diligebat, ad se frequenter evocabat; quem in magna reverentia semper habebat, & quasi primum in domo sua; cujus

consiliis acquiescebat, & ejus se orationibus jugiter commendabat; in quibus plurimum confidebat.

[55] [dumque deinde eumdem principem præsentissimo, in quod inciderat,] Nec eum fefellit opinio. Nam Deus eum Brunonis meritis a præparata in eum proditione in obsidione Capuanæ civitatis liberavit, ut idem princeps in suis patentibus literis per hæc verba testatur: Ego Rogerius divina misericordia comes Calabriæ & Siciliæ notum esse volo omnibus fidelibus Christianis beneficia, quæ mihi pecatori concessit Deus orationibus reverendi mei fratris Brunonis, piissimi patris fratrum, qui habitant in ecclesiis sanctæ Mariæ de eremo, & sancti Stephani protomartyris, quæ sitæ sunt in terra mea inter oppidum, quod dicitur Stillum, & Arenam. Quum essem in obsidione Capuæ Calendis Martiis, & præfecissem Sergium, natione Græcum, principem super ducentos armigeros nationis suæ, & exercitus excubiarum magistrum; qui satanica persuasione præventus, prius ipsi principe Capuæ promittente auri non modicam quantitatem, ad invadendum me meumque exercitum noctu aditum pollicitus est se præbiturum.

[56] [periculo liberat,] Nox proditionis advenit, princeps Capuæ ejusque exercitus juxta promissum est paratus ad arma, dumque me sopori dedissem, interjecto aliquanto noctis spatio, adstitit cubili meo quidam senex reverendi vultus, vestibus scissis, non valens lachrymas continere. Cui cum in visu dicerem: Quæ causa ploratus? Sic ait: Fleo animas Christianorum, teque cum illis simul. Exurge quamprimum, sume arma, si liberari te Deus permiserit, tuorumque animas pugnatorum. Hic mihi per totum videbatur, veluti si esset per omnia venerabilis pater Bruno. Expergefactus sum cum terrore grandi pro visione pavescens. Illico sumpsi arma, clamans militibus, ut armati equos conscenderent, visionem, an vera esset, satagens experiri. Ad quem strepitum & clamorem,

fugientes impius Sergius ejusque sequaces subsecuti sunt principem Capuæ, sperantes se in dictam civitatem confugium habituros. Ceperunt autem milites nostri inter vulneratos & sanos centum sexaginta duos, quibus & visionem fuisse veram comprobavimus.

[57] Reversus sum, Deo volente, vicesima nona Julii mensis Squillacium, [novis idcirco ab eo beneficiis] præhabita Capua civitate, ubi fui per quindenam continuam ægrotans. Venit vero jam dictus venerabilis Bruno cum quatuor de fratribus suis, qui me suis sanctis devotisque colloquiis consolati sunt. Cui reverendo Viro visionem retuli & humiles gratias egi, qui de me etiam absente, suis in orationibis curam habuisset. Qui se humiliter asseruit, non ipsum fuisse, quem vidisse credidi, sed Dei angelum, qui astat principibus tempore belli. Rogavi quoque ipsum humiliter, ut propterea de rebus meis in terra Squillacensi sumere dignaretur largos redditus, quos donabam, renuens ille, recipere nolle dicebat, quod ad hoc domum sui patris meamque dimiserat, ut omnino de rebus extraneis liber deserviret Deo nostro. Hic fuerat in tota domo mea quasi primus & magnus. Tandem vix ab eo impetrare potui, ut gratis acquiesceret sumere modicum munus meum.

[58] Donavi enim eidem patri Brunoni ejusque successoribus ad habendum in perpetuum, [afficitur, binas ecclesias exstruit, mortem sibi vicinam sentit,] absque temporali servitio monasterium sancti Jacobi cum castro, & complures res, compluraque bona alia, cum amplissimis libertatibus, in dictis literis specifice declaratis. Ædificavit itaque beatus Bruno inibi vigore donationis prædictæ primo ecclesiam quandam ad honorem beatæ Mariæ Virginis juxta speluncam seu antrum quoddam subterraneum, in quo solus ipse manebat. Demum vero pariter ædificavit ecclesiam aliam, a superiore non longe distantem, cum contiguo illi

monasterio sub vocabulo sancti Stephani protomartyris, in quo cæteri fratres habitabant, & sub cura & regimine tanti Patris Christo Domino militabant. Cum quibus ipse usque ad diem mortis suæ perseveravit in ea observatione, quam prius cœperat & docuerat in Carthusia, nec declinavit ex ea. Veniens autem ad mortem, sciens, quod venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, convocatis fratribus suis, ab infantia singulas ætates suas recensuit, & totius temporis sui scientia & sententia dignum proclamavit, exhortans eos & admonens ad charitatem & humilitatem & ad perseverantiam.

[59] Postea vero fidem suam de Trinitate protracto & profundo sermone exposuit & conclusit sic: Credo etiam Sacramenta, [piissimeque, fidei professione emissa, moritur.] quæ sancta credit & veneratur Ecclesia, & nominatim panem & vinum, quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum Corpus esse Domini nostri Jesu Christi, veram Carnem & verum Sanguinem, quæ & nos accipimus in remissionem peccatorum, & in spe salutis æternæ mm. Proxima autem die Dominica sancta illa anima carne soluta est pridie Nonas Octobris, anno Domini millesimo centesimo primo. Corpus vero ejus fratres ibidem honorifice condiderunt. Ad cujus sepulchrum tale fuit appositum Epitaphium.

*Primus in hac eremo Christi fundator ovilis,*
*Promerui fieri, qui tegor hoc tumulo .*
*Bruno mihi nomen, genitrix Alemania, meque*
*Transtulit ad Calabros grata quies eremi.*
*Doctor eram, præco Christi, vir notus in orbe,*
*Desuper illud erat, gratia, non meritum.*
*Carnis vincla dies Octobris sexta resolvit,*
*Spiritui requiem, qui legis ista, pete.*

# CONFESSIO FIDEI MAGISTRI S. BRUNONIS 1

Fidem Magistri Brunonis, quam communiter fratribus suis protestatus est, cum sensisset appropinquare sibi horam ut ingrederetur viam omnis carnis, scriptam curavimus servare, eo quod satis intime rogaret, ut fidei illius coram Deo testes essemus.

# CONFESSIO FIDEI 2

1. Credo firmiter in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ex utroque procedentem, et has tres Personas unum Deum.

2. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.

Credo quod Virgo castissima fuerat ante partum, virgo in partu, et post partum virgo in æternum permansit.

Credo quod idem Dei Filius conceptus sit inter homines ut verus homo sine peccato.

Credo quod idem Dei Filius invidiose captus est a perfidis Judæis, injuriose tractatus, injuste ligatus, consputus, flagellatus, mortuus, sepultus.

Descendit ad inferos, ut captivos suos inde liberaret.

Descendit propter redemptionem nostram, et resurrexit, ascendit ad cælos, inde venturus judicare vivos et mortuos.

3. Credo Sacramenta quae catholica credit et veneratur Ecciesia, et nominatim quod consecratur in altari verum

Corpus esse, veram Carnem et verum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ.

Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

4. Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis.

Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse Pater a nullo originem ducit, ex quo et Filius nativitatem, et Spiritus Sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur et origo est totius Divinitatis. Ipse quoque Pater, essentia quidem ineffabilis, substantia sua Filium genuit ineffabiliter, nec tamen aliud quam quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem. Ab Ipso ergo est omnis paternitas in cœlo et in terra.
Amen.

[60] [Miracula deinde ejus meritis patrantur. Sed cum etiam absque miraculis] Hanc autem ejus sanctam vitam mortemque preciosam secuta sunt miracula multa, quæ Dominus gloriosi sui Confessoris intercessionibus & meritis operari dignatus est, quamvis miracula Sanctum non faciant, cum non neget Apostolus, montes sine charitate posse transferri. Et propterea non sunt in talibus expetenda seu quærenda miracula, quæ cum malis possunt haberi communia. Nam & magi Pharaonis incantationibus suis multa signa fecerunt. Judas etiam, filius perditionis, vivens miracula fecit, qui & cum cæteris Apostolis ejiciendi dæmonia potestatem accepit. Multi etiam alii signa fecerunt, nec tamen ob hoc sanctiores, immo potius deteriores, & damnabiliores effecti sunt. Qui cum in judicio dicent, Domine Domine, nonne in nomine

tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Respondebit illis Dominus: Quia non novi vos. Discedite a me omnes operarii iniquitatis oo. Hinc est, quod, cum eidem Domino discipuli redeuntes dicerent: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo, ait illis: Nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Et tamquam quærerent, In quo ergo magister bone, gaudebimus? In hoc, inquit, gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

[61] [Sanctum quemquam esse posse, ea omnia, quæ hic] Multi vero e contrario sancti sunt, a quibus nulla vel pauca facta leguntur miracula, sicut complures Martyres, de quorum sanctitate nullus dubitat. Complures etiam Confessores, qui ad fidei illuminationem multa scripserunt, in eminentia doctrinæ, sanctitatis probationem habentes, ut Augustinus, Gregorius & similes. Unde cum in canonizatione sancti Thomæ Aquinatis de miraculis quærerent, respondit Papa, non esse de eis inquirendum. Nam tot miracula fecit, quot quæstiones terminavit. Plures igitur fuerunt, qui in eremo vixerunt in asperitate vitæ a conversatione hominum elongati, in continua pugna contra temptationes & vitia perseverantes, seipsos abnegantes, patrem, matrem, & omnia, quæ possederant, relinquentes, crucem suam portantes, & Christum sequentes, sicut Paulus primus eremita, cujus respectu Antonius ait, se solum monachi gerere nomen. Sicut & Arsenius, Hilarion, Macharius, Eulalius, & cæteri plures. Sicut & hic pater noster beatus Bruno, qui non minus cæteris fecisse videtur. Quibus omnibus sufficit pro sanctitatis testimonio verbum Domini dicentis in persona Sapientiæ: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

[62] [proferuntur, ostendant,] Et iterum de eadem Sapientia loquens, Supra salutem, inquit, & speciem dilexi illam: & proposui pro luce habere illam; quam sine

fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondi. Infinitus enim est thesaurus ejus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Et in Euangelio, quum dixisset Simon Petrus ad Christum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respondit: Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit. Et iterum ad discipulos suos: Amen dico vobis, quia vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et ad adolescentem de vita æterna interrogantem, ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo.

[63] His itaque solis sanctitatis patris nostri Brunonis testimoniis sanctissimus Papa noster, [ideo Brunonem coli, Leo X Papa, miraculis non discussis, permisit.] dominus Leo decimus hoc tempore Pontifex Maximus, sine aliqua miraculorum inquisitione contentus, dignum arbitratus est & rationi consonum, eum, quem Deus tantis in hoc seculo donis insignivit & gratiis, nunc assumptum in cælos maximis efferendum præconiis, ut cui viventi dederat Omnipotens cor ad præceptum & legem vitæ & disciplinæ, eidem nunc, apud thronum divinæ gloriæ quiescenti, debitæ devotionis obsequium impendatur in terris. Et propterea voluit idem Pontifex, & nobis & Ordini nostro Apostolica auctoritate concessit, ut in singulis domibus totius nostri Ordinis & earum ecclesiis seu capellis festum ejusdem patris nostri Brunonis confessoris annis singulis die sexta mensis Octobris, qua die illa ejus beata anima, carnis vinculis exuta, ad cælestia regna migravit, solemniter colatur, & congrua ac debita devotione celebretur, ejusque corpus & memoria dignis in

Domino laudibus veneretur, & conveniens Officium in honorem ipsius agatur & decantetur, & ut de eo diebus singulis commemorationem facere valeamus. Idem etiam Pontifex domum prædictam sancti Stephani, quam (ut jam sæpe dictum est) beatus Bruno pater noster in finibus Calabriæ post erectam prius per eum Carthusiam fnndaverat, & in qua corpus ejus conditum jacet, per monachos alterius Ordinis multis annis occupatam, Ordini nostro restituit, & sub cura juxta ritum, mores ac regularia instituta ejusdem nostri Ordinis regendam & gubernandam commisit, prout in desuper confectis literis Apostolicis continetur.

[64] Gaudeamus itaque omnes, mei dilectissimi, gaudeamus omnes in Domino, [Himno Cartusianos ad gaudendum,] diem festum celebrantes sub honore beati patris nostri Brunonis, de cujus solemnitate gaudent angeli & collaudant Filium Dei. Hæc namque est dies illa, quam fecit Dominus. Dies, inquam, illa, quæ ab angelis in cælis continua, a nobis vero in terris ad Dei laudem & tanti Patris memoriam annua devotione recolitur. Exultemus igitur & lætemur in ea, & omnipotenti Deo, qui per suam misericordiam hujus nostræ militiæ ducem & principem tantis ac talibus donis & gratiis prævenit in via, & tantis dotibus ac tanta gloria deinde remuneravit in patria, dignas, quas possumus, laudes & gratias humiliter referamus, & ejusdem Sancti merita dignis efferamus laudum præconiis. Præceptum enim habemus de honorandis parentibus, nedum carnalibus, sed & tanto magis his, qui nos in Christo genuerunt, spiritualibus. Unde scriptum est, quia gloria hominis ex honore patris sui est, & dedecus filii pater sine honore. Et quia, qui honorat patrem suum, vita vivet longiori, & jocundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur, & superveniet ei benedictio a Deo, & benedictio illius in novissimo manet.

**[65] [ad laudandum Dominum] Agamus insuper Deo laudes & gratias, qui, sicut post quadringentos & triginta annos a repromissione facta Abrahæ filios Israël per manum Moysi de servitute Ægyptiorum liberavit, ita & nunc post totidem annos, quadringentos scilicet & triginta, hunc Patrem nostrum, & per eum fundatam domum prædictam Sancti Stephani per manus summi legislatoris, Romani Pontificis, Christi in terris vicarii, de manu alienorum redimere, & sub nostri Ordinis possessionem & obedientiam restituere dignatus est. Tot enim anni, quadringenti scilicet & triginta, numerantur ab ejusdem Ordinis initio, quasi quodam divino præsagio, usque ad annum millesimum quingentesimum quartum decimum, quo anno idem Pontifex eundem Patrem nostrum & dictam ejus domum, in qua, ut jam sæpe dictum est, conditus jacet, a prædicta servitute liberavit. Et quia tunc Dominum in Sanctis ejus, & Sanctos in Domino digne veneramur & colimus, quum Sanctorum virtutes & mores imitamur & sequimur, sicut & ille Deum perfecte diligit, qui ejus mandata custodit.**

**[66] [& ad sancti Patris sui sequenda vestigia biographus hortatur.] Propterea, venerabiles patres & fratres in Christo dilectissimi, si veri filii sumus, non degeneres, sequamur, & quantum, Domino cooperante, poterimus, imitemur hujus patris nostri beati Brunonis mores & vestigia. Decet enim, filios similes esse patri, quum Dominus, de seipso loquens, dicat, non posse Filium a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Et quod quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter faciat eee. Quemadmodum igitur ille fecit, ita & nos pariter faciamus. Carthusienses enim sumus, & a Carthusia, ut jam audivimus, nomen accepimus. Carthusia autem juxta etymologiam sui nominis secundum Hieronymum in interpretatione Hebraïcorum nominum dicta est a Chartus, quod interpretatur perfecte vocatus, vel perfecta vocatio; & ia, quod est Dominus vel dominator, quasi a**

Domino perfecta vocatio; & inde Carthusianus dictus est, tamquam a Domino perfecte vel ad perfectionem vocatus.

## ANNOTATA.

Miraculo interveniente, id factum non est. Consule Comment. prævium num. 527.

Nimirum secundum visionem, S. Hugoni, Gratianopolitano episcopo, paulo ante S. Brunonis ejusque sociorum ad hunc accessum, divinitus oblatam, de qua videsis Commentarii prævii § XXV.

Cum nimirum e Cartusia ab B. Urbano II Papa arcessitus Romam se contulit. Adi Comment. prævii num. 516 & 529.
End Notef De hac Cartusiæ restitutione, per Siguinum, Casæ-Dei abbatem, facta, illiusque adjunctis, quæ hic memorantur, videsis Commentarium prævium num. 528 & binis seqq.

Concilium Claromontanum, quod decernendæ parandæque in Terram Sanctam expeditionis causa convocatum præcipue fuit, quodque nulla re magis, quam hac, omnibus passim notum est, anno etiam 1095 mense Decembri, uti inter omnes convenit, fuit celebratum; unde simul & ex mox dictis ad lit. i manifestum est, Urbanum Papam tunc, cum id, uti mox hic subditur, convocavit, in Galliam, quo Henrici furorem declinaret, non concessisse, contra ac hic traditur.

Fuit scilicet anno 1099 Hierosolyma a Christianis expugnata, iisque anno 1187 a Saladino erepta, uti omnium, qui de re illa tractant, scriptorum concors fert testimonium.

Sanctorum numero S. Thomam Aquinatem anno 1323, uti apud nos ad diem 7 Martii, qua de sancto illo Ecclesiæ doctore egimus, videre est, Joannes XXII Papa adscripsit; hic autem de miraculis, quæ S. Thomas patrasset, non esse inquirendum, haud dixit, sed contra diligentissime in ea fecit inquiri. Liquet id tum e dicti Sancti canonizationis bulla, tom. 1 Bullarii a Laërtio Cherubino inserta, tum ex Processu inquisitionis factæ super vita, conversatione & miraculis recol. mem. fr. Thomæ de Aquino, ad præfatum 7 Martii diem in Operis nostri primum mensis hujus tomum pag. 686 & seqq. illato. Adhæc etsi quidem, quemadmodum in conscripta a se S. Thomæ Aquinatis Vita, eidem Martii tomo apud nos intexta, num. 81 Guilielmus de Thoco, auctor synchronus, memoriæ prodit, Joannes Papa Dominicanorum deputatis, qui ad eum, ut inquiri in S. Thomæ miracula Apostolica auctoritate juberet, postulatum venerant, divino afflatus Spiritu dixerit, sese credere, S. Thomæ doctrinam non potuisse esse sine miraculo, aliaque deinde nonnulla, quæ hanc plurimum commendant, in consistorio coram Cardinalibus protulerit, illum tamen, quæ hic Puteanus scribit, de S. Thoma asseruisse, nuspiam invenio; neque vero a Pontifice illo, tot hunc Sanctum fecisse miracula, quot quæstiones terminasset, dictum fuisse, sat verosimile autumo.

Cum Leo X Papa Sanctum nostrum canonizatione nec formali, nec æquipollenti, quæ utraque cultus præceptum importat, Sanctis adscripserit, sed tantum, ut Commentarii prævii § ultimo probavi, Beatificatione æquipollenti, per solam cultus, quæ in Cardinalis Papiensis litteris, Commentarii prævii § 46 datis, exprimitur, permissionem facta, biographus noster, quæ veritati accurate consonent, hic non scribit, si per præteriti temporis verbum voluit idem hic intelligat, quod per præteriti itidem temporis verbum injunxit.

Modo quidem sacrum Sancti corpus in Turritana S. Stephani ecclesia honorifice asservatur; verum in ecclesia S. Mariæ verosimilius terræ fuit mandatum. Adi Comment. præv. num. 731 & binis seqq.

Non pauca adhuc, quæ non secus atque jam data Vitæ S. Brunonis nomine notavit vulgavitque Puteanus, hic adjiciuntur; verum cum nihil plane, quod a Sancto gestum sit, complectantur, tantumque una cum iis, quæ tribus ultimis numeris modo hic dedi, orationem ad Cartusianos hortatoriam constituant, ab iis, cum merito pro parte Vitæ Sancti nostri haberi haud queant, recensendis abstinendum duxi. Ea interim, quæ in hic suppeditatam a biographo nostro Cartusiæ etymologiam Theophilus Raynaudus in Stylita mystico, puncto 4, num. 9 observat, lubet hic lectori proponere. Sic itaque ibidem habet: Quidquid sit de vocis (Cartusiæ nimirum) originatione primæva, quis neget ad veritatem dixisse eum, qui Cartusiæ nomen a carne tusa & macerata dictum videri, affirmavit? Primævam hanc fuisse originationem hujus vocis, asserere non ausim, qui sciam, ante appulsos illuc S. Brunonem ac socios id jam fuisse loco nomen, ut liquet ex cap. IX & X Actorum (a Surio scilicet editorum) S. Brunonis. Nisi si post Sanctorum illic habitationem & exceptas illic ab eis macerationes & contusiones corporis, contigit, inditam tunc appellationem retrotrahi ad tempus, priusquam a Sanctis incoleretur, siquando de anteriori illo tempore incideret sermo. Nam ipsa quoque Scriptura plerumque nomina locorum desumit a posterioribus eventibus, ut fuse prosequitur S. Chrysostomus. Quamvis igitur notatio nominis Cartusiæ, a carne tusa & macerata, videri possit incerta; tamen notationi illi subjecta notio perspicue est ad veritatem. Quadrat sane multo magis, quam illa alia, pro qua (post Puteanum, nempe hic) satagit Petrus Sutoris, derivans Carthusiæ vocabulum, a duplici Hebraïca voce, quarum altera Cartus juxta S. Hieronymum Perfectam vocationem

sonet; altera, hoc est, IA, Deum designet, ita ut sensus sit, Carthusiam esse perfectam vocationem Dei. Hæc adde iis, quæ Comment. prævii num. 28 dicta sunt.